



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

8. Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

Spiritus ignitis effusus ab æthere linguis,

(a) Unum testatur Numen inesse tribus.

Verior unde fides possit vel major haberis?

Messias testis, Spiritus, atque Pater.

(a) Unde bene dicitur, unum sunt, non unus. Vide Hil. lib. 7. de Trin. Et Dion. de Div. Nom. cap. 2. Divinas personas, dicit, esse conjunctas in unum discretè, & discretas conjunctim.

### SYMBOLUM 8.

*Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Rom. 11.*

*Simile est ad Eph. 4. in istis verbis. Deus &c. qui est super omnia, per omnia, in omnibus.*

**P**rincipium Pater est, perstat quo conditus orbis,

Per quem, nì per te Nate redemptus homo?

In quo delicium mentis, sincera voluptas,

Pax animi? in Sancto Pneumate sola quies.

(a) Ex quo, per quem, in quo sunt omnia, trinus & unus  
Est Deus, est rerum (b) finis, origo simul.

(a) Cum dixisset Apostolus ex quo omnia &c. Trinitatem insinuasse creditur: nec tamen subjecit, ipsis gloria, sed ipsi. Pater non habet Patrem de quo sit, Filius autem de Patre est, ut sit, atque ut illi coeternus sit. Imago enim si perfectè implet illud, cuius est imago, coequatur illi, & non illud imagini sue &c. Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris & imaginis non est sine perfectione, sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo (si tamen humana aliquā voce dignè dicitur) est in Trinitate Spiritus S. non Genitus, sed Genitoris, Genitique suavitas, ingenti largitate profundens omnes creaturas pro captu earum, ut ordinem suum teneant, & acquiescent. Trinitas hac unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ven. Beda Rom. 11. (b) Ise. 41.

SYM.